

COMMENTARIUS

In

Partem secundam.

Vers. 3. *Quemadmodum &c.*) Hic incipit secunda pars totius epistolæ, quæ est instructio aduersus falsæ doctrinæ sectatores. Illam inchoat ab hortatione, ad quod tanto promptiùs accipiendam revocat Timotheo in mentem hortationem antegressam. Apostolus quidem biennium Ephesi erat commoratus, & in Ecclesia constituenda laboraverat, nec tamen præsens potuerat omnia ordinare, nec diutius illic manere: alio vocabatur. Cùm igitur sic pluribus Ecclesiis constituendis intentus esset, ut priores non negligeret, & probè intelligeret, strenuo viro esse opus ad reformationem Ephesi continuandam, Timotheum præ multis delegerat, qui rerum summæ præfesset. Poterat mandare ut magister discipulo, ut pater filio, ut Apostolus Jesu Christi. Non usus erat jure suo; Blandè rogaverat. Miratur Chrysostomus. Ideo scribit: *Vide quàm gratè quàm blandè, quomodo non magistri voce utitur sed supplicis ferme.* Non illum solum præfecerat Ecclesiæ: plures erant Presbyteri Ephesini, quos ad se evocat miletum *Act. 20, 17.* Non tamen dicit, *quemadmodum te & collegas precatu sum, sed quemadmodum te precatu sum,* quia illum imprimis designaverat, qui ipso absente Ecclesiam cum aliis regeret, id quod est virtutis & industriæ testimonium luculentum. Non autem ait, *quemadmodum Petrus constituit, vel Petrus per me declaravit.* Dederat illum Ephesii præconem non consulto, non ad id requisito Petro.

Ut permaneres Ephesi) Chrysostomus inquisitione dignum censet, an modò illic Timotheum præfulem constituerit. Non apparet. Non ait *ut semper permaneas:* potius ad tempus ibi fuit, & postea rursus adfuit Apostolo ab ipso Romam evocatus. Inde rediisse Ephesum, non constat à sacra historia. Haud dubiè informaverat, & monuerat eum, quid fieri vellet. Non repetit hinc operosè, sed tantum mansionis meminit. Scilicet non opus erat prolixâ repetitione. Sciebat Timotheus sibi non esse ociandum, sed strenuè laborandum, ubi, ubi versaretur. Ideò contentus est nominare antecedens, cum quo labor, ut consequens, cohæret. Ægrè eum à se dimittebat comitem fidum & charissimum, nec sine magna causa. Ephesi autem potius manere volebat, quàm alibi tum quòd necessitas Ecclesiæ postularat, quippe quæ in turbulento statu fuerat relicta *Act. 19.* tum quòd ab illius firmâ constitutione multorum salus penderet. Unde etiam toti Asiæ valedicturus Ephesinos Episcopos ad se evocat Miletum *Act. 20, 17.*

Cum proficiscerer in Macedoniam) Apostolus ter Macedoniam adiisse videtur. Prima profectio describitur *Act. 16.* Secunda, ex Asia, *Act. 19.* 2 *Corinth. 7, 3. 9. 2.* Tertia ex Græcia *Act. 20, 3. 4.* primæ & secundæ comitem fuisse Timotheum, constat, tum ex *Actis,* tum & posterioris ad Corinthios subscriptione. In tertia dimissus fuit cum aliis, quem tamen cum illis Troade iterum vidit nempe cum Aristarcho, Secundo, Cajo, Derbæo, Tychico & Trophimo. Ex his imprimis per Timotheum consulere voluit Ecclesiæ Ephesinæ, quod ipsi valdè erat honorificum, & eum ad rem strenuè gerendam stimulari poterat & debebat. De hac tertia profectioe Beza, eumque secutus Danæus interpretatur. Similiter Aretius. Alii ad primam, alii ad secundam referunt. Lector judicet.

Ut denuncies &c.) Particula *quemadmodum,* quam græci codices constanter habent satis ostendit, ellipticam esse orationem, quæ S. Apostolo familiaris, maxime quando vehementi quodam affectu, ut bene notat

Hyperius, ad aliqua valdè utilia & necessaria properat, quod eum hoc loco voluisse, admodum probabile est. Inde Beza in priori editione versionis subaudit, permaneto, in posteriori, *vide;* quod Pilcator retinet, pro quo Calvinus habet, *volo,* Cum ait, denuncies, sic eum armat potestate, ut alterius nempe Christi nomine præcipere debere indicet. Ea enim vis verbi *ἐγγυγγελλεῖν,* ut alibi quoque annotavimus. Non vult supplicem fieri istis hominibus: Non enim ait, *ut ores;* jam enim tiphone superbiæ intumuerant & intumuissent magis rogatu. Erat quidem monela omnibus necessaria, non tamen ait, *omnibus,* quòd sciret, nec moliri, nec amare omnes *ἐπεγγεῖν ἀσκαλίαν.* Nec nominat expressè, quamvis fortasse noti essent, tum quòd de illis non planè desperet, tum ne illos exacerbet, tum ut suam mōderationem tantò magis declaret, aliisque imitandam proponat. Chrysostomus ait, *Non eos notat ex nomine, ne apertâ reprehensione impudentiores fierent.* Hoc eodem recidit. Haymo, Hugo Cardinalis, Lombardus ad discretos à catholica fide tam auditores quàm doctores referunt. Mihi magis placet, quòd per quosdam notari doctores censet Chrysostomus, Theophylactus, & commentarius Ambrosio inscriptus, qui benè Judæos nominat. Ex Judæis enim fuisse tota cohortatio evincit.

Ne diversam &c.) Gr. *μὴ ἐπεροδιδασκαλείν.* Vetus interpres vertit, *ne aliter doceant.* Erasmus, *ne diversam sequantur doctrinam:* quasi cum auditoribus Apostolo res esset. Non immeritò displicet Calvino. Cornelius à Lapidè notat, quòd, verbum græcum significet, aliter docere, & alio doctore uti. Non quidem morosè contendam, verbum abhorre à significato, quòd Bullingero & Aretio placere video. Dubito tamen an posterioris significationis exempla possit producere. Non producit. Ab Apostolo patet, quòd & ille fatetur, eum loqui de doctoribus. Illos disertè nominat *h. l. v. 6.* confer infra *c. 6, 5. 20, 21.* Calvinus notat, si legamus, *aliter docere,* latius hoc patere: Tum enim prohiberi novas docendi formas, quæ eum effigie vera ac genuina, quam tradiderat, non congruant. Si legamus, *aliud docere,* ad materiam referri. Monet tamen non vocari aliam doctrinam tantum, quæ cum pura Evangelii doctrina pugnat, sed quæcunque purum Evangelium vel corrumpit novis & adventitiis figmentis, vel profanis speculationibus obscurat. Eruditè mihi placet Hyperii judicium, quòd non multum referat, veritas ne, *ne aliter doceant an ne aliud doceant.* Non enim dubito, quin Apostolus utrumque prohibeat. Aliud docent, qui docent quæ in scriptura non inveniuntur, aut etiam cum scriptura manifestè pugnant. Docent aliter, qui proponunt quidem quæ in scriptura leguntur, at nec sincerè, nec integrè, sed vel addunt de suo, vel demunt, vel interpolant, studiosè miscentes veris & utilibus vana & inutilia, necessariis non necessaria curiosè conquisita. Ad prius pertinet, quòd fabulas aliqui traderent. Ad posterius, quòd legem sic docerent, ut usum perverterent. Prædixerat Apostolus presbyteris Ephesinis, ex ipsis exorturos esse, qui perversa loquantur *Act. 20, 29.* Fortasse tales jam tum paulatim emergebant: certe inter Galatas vicinos magnas turbas dedisse, clarescit ab Epistola Galatis inscripta. Hauserant in Judaismo multa à Pharisæis, quæ non conveniebant scripturæ: Erant paternarum traditiuncularum tenaces, quòd Christus hypocritis exprobrat *Matth. 15.* Et testis Irenæus (lib. 4. c. 25) qui Apostolorum tempore vicinus, adhuc suo tempore existisse legem quandam Pharisaicam, quæ legi Dei prorsus repugnaret. Epiphanius verò refert hæresi 15. apud scribas, quos secundâ Judaismi hæresin facit, expositiones seu repetitiones quatuor fuisse. Unam in nomen Mosis Prophetæ. Secundâ in Præceptorè ipso-

COM-